...emla.

Canoni vectigalis venerationis – Petilli ex Admo Capitulo Posnaniensi. Posnaniae 1674.

prezza 2552

CANON
Vectigalis Venerationis.
In recognitionem perpetuam, accepti Beneficij,
Perill: & Rendmo: CAPITVLO Posnan.
Cum annuâ Pensione.
Ex areis in Oppido Piotrowo, Collegio Lubransciano Academiæ Posnan: donatis, assignatâ.
Die Innouationis Studiorum, eiusdem Acad: Posnan: post ferias S. Martini Episc: & Confess: incidente.
Quâ
Perillustres & Rendmi D.D. Benefactores, Patroni, Curatores, dictum Collegium, inuisere dignati sunt.
Debitâ cum gratiarum actione,
NVMERATVS.

Non deësse doctis, Attalicas opes,
Vsquam Camœnis: laurigerum, suis
Nutrire Parnassum profundè
Visceribus, satis inuidendas,
Crœso vel ipsi, diuitias; scient
Seri nepotes! ac Heliconijs
Super fluentis, prædicabunt
Nummiferas gemere Officinas!
Queîs grande, scito cuditur impetu,
Morti eximendis nominibus lytrum,
Et comparandæ, vera merces,
Eximium pretiumque laudis.
Hoc, vestra soluet ritè peculio,
Lubranscianum munera Athæneum.
O summa, sacrati Senatûs
Lumina! Pontificalibusque
Nati gerendis muneribus, Viri:
Sublimiorem quos Cathedram super,
Decora celsis, POSNA spectat
De speculis, liquidisque Varta
Obseruat undis. Tollite de penu
Apollinari (quod pretiosius
Omni metallo est) literati,
Parua licet monumenta, Censûs.
Et æuiternas, quotquot aget Polus,
Posthâc calendas, Castalidum, pij
Audite Musarum Patroni,
Ac populi vigor eruditi.

POSNANIÆ, Typis Viduæ & Hæredum Alberti Reguli. Anno Domini 1674.